

magnitudine potentie et non clementia et lenitate gubernare subiectos, cuius oppositum faciebat rex maximus ^{a)} Artaxerses ^{b)} Hester 2 ¹⁴⁾.

(b) Circa partem principalem istius questionis negociando, scilicet utrum talis princeps monarcha si esset, ita esset prelatum in rebus temporalibus, quod in illis nulli subiaceret ^{c)}. Dicunt autem legiste, quod sic, quia ordo rerum temporalium ab ordine rerum spiritualium est totaliter disparatus. Unde apostolus 2. ad Thimotheum 2. nemo inquit militans Deo implicat se negotiis secularibus ¹⁵⁾, et ideo cum principatus temporalis sit a principatu spirituali disparatus de iure ^{d)} et ratione, non est illi subiectus. Sed contra istam sententiam proceditur via quadruplici secundum quatuor genera causarum.

Quarum prima est via cause efficientis, quia accipitur talis regula: quicumque presidet alicui principi, presidet ^{e)} et omnibus subiectis illi principi in illo ordine principatus, quia ^{e)} quisquis presidet presidenti, presidet et subiacenti, sicut quidquid est superius superiore, est superius et ^{f)} inferiore, sicut quidquid est causa cause, est et ^{g)} causa causati per illam causam. Set princeps spiritualium presidet principi temporalium ^{h)}; ergo presidet eius principatui, qui est temporalis, et sic in temporalibus isti duo principes sunt subordinati. Minor probatur primo ⁱ⁾ in veteri testamento, quia ^{j)} principes temporalium non ordinabantur nisi auctoritate principis spiritualium sicut patet in libro Regum de ordinatione Saul et David per Samuelem ¹⁶⁾. Secundo probatur, quia in novo testamento, postquam principes fuerunt fideles, voluerunt per pontifices ordinari, et confirmatur ista, quia princeps spiritualium transtulit principatum temporalium a gente in gentem; nullus autem potest principatum transferre, nisi possit ipsum effective conferre, ut patet de se ^{k)}, igitur ^{l)} etc. ^{l)}. Dicunt aliqui, quod licet princeps spiritualium ^{m)} habeat auctoritatem supra dignitatem imperialem, non tamen supra imperium. Contra quia imperator non presidet imperio nisi per dignitatem imperialem; sed dignitatem imperialem habet in se

^{a)} Maxentius P 2. ^{b)} Arthassesses P 2; Art. vel forte Assuerus P 1. *Da Mayronius den König auch in einem anderen Traktat (Lapparent S. 94) Arthaxerses nennt, ist v. f. Ass. offenbar eine Glosse von P 1.* ^{c)} subiceret P 2. ^{d)} regula P 2. ^{e)} presidet — quia fehlt, statt dessen et P 1. ^{f)} fehlt P 2. ^{g)} fehlt P 1. ^{h)} spiritualium P 1. ⁱ⁾ fehlt P 1. ^{j)} fehlt P 2. ^{k)} per se patet P 2. ^{l)} fehlt P 2. ^{m)} temporalium P 2.

¹⁴⁾ Vielmehr Esther 13, 2; so auch richtig an der oben Anm. b zitierten Stelle.

¹⁵⁾ 2. Tim. 2, 4.

¹⁶⁾ Vgl. oben S. 120 Anm. 3.